

Theodericus SACRÉ¹

DE LITTERIS LATINIS QVAE AD PRIVS BELLVM GENTIVM REFERVNTVR
PROLVSIO²

Ecce ferus Mavors toto bacchatur in orbe
Europeque metu pallidiore tremit.³

Divulgabatur, auditores spectatissimi, ineunte saeculo vicesimo in urbe Roma commentarius Latinus, *Alma Roma* inscriptus, qui singulis prodibat mensibus; cui inserebantur nuntii Latini de rebus recentissimis, auctore ‘Poplicola’ aliquo, quem ego virum Iosephum Fornari, *Almae Romae* moderatorem, fuisse existimo. Maiores ergo prioris belli universalis eventus Latine ibi reperietis descriptos. Haec vero Poplicola exardescente bello, Idibus Augustis anni 1914:

Animus hodie scribere horret luctuque refugit: in eo enim discrimine sumus, quod fortasse numquam historia vidit. Ecquando namque in Europa omni immane belli incendium ut hisce diebus conflagravit? Quod si unius anteacti vix saeculi memoriam revocaveris, tum in unum hominem Europae gentes, Russi, Austriaci, Borussici, Angli, Suedi, Iberici coniunctim agebant; nunc ex adverso Europa in duos campos dividitur, quorum in altero Germani praepollent, Slavonii in altero, atque in formidabile stirpium nationumque certamen per iram inconsulto se ingurgitat, unde effectus ii facile orientur, qui non regnorum tantum fines et ditionem, sed ipsum populorum animum et humanitatem tot tantisque laboribus subvertere valeant.”⁴

Haec ‘Poplicola’ sive Iosephus Fornari exortis tanti belli periculis; qui quattuor fere per annos singulis mensibus eiusmodi nuntiis relationibusque commentarios eos Romanos ita instruxit, ut eius narrationes, si in unum composueris, totius belli illius breviarium constituent Latine atque eleganter conscriptum et id quidem tale ut, quae ibi relata sine ira et studio offenderis, eis fidem plerumque possis habere.⁵ Contra moderatores commentariorum Budapestinensium Latinorum, quibus erat titulus *Iuventus*, cum statis intervallis de eodem bello referebant, nullo enitebantur modo ut neutrī belligerantium partibus studere viderentur, verum imperio Austriaco-Hungarico ita favebant, ut probris et maledictis usque onerarent hostes; satis erit, ut eius rei testimonium afferam, locum quandam exscribere in *Iuventute* Kalendis Decembribus anni 1914 divulgatum, etsi suppudet iterare quae ibi tum sunt scripta:

¹ E Seminario Philologiae Humanisticae Studiorum Universitatis Catholicae Lovaniensis (Blijde-Inkomststraat, 21 box 3311, B-3000 Leuven), Dirk.Sacre@arts.kuleuven.be

² Acroases de hoc ipso arguento feci complures, aliis alibi propositis carminibus et solutae orationis speciminibus. Nam Lovanii in studiorum universitate id argumenti primum attigi mense Aprili anni 2014; quod repetivi Cortoriaci in sede eiusdem universitatis mense Octobri eiusdem anni; insequenti autem mense Bonnae, cum conventus de priore bello omnium gentium haberetur, rem leviter immutatam iterum exposui. Huc accedit quod parvulum e carminibus delectum paravi edendum in commentariis q.t. *Prora*; eius partes duae iam sunt editae (‘Latijnse gedichten uit Wereldoorlog I: het Duitse kamp’, *Prora*, 20/3 (2015), 163-170; ‘Latijnse gedichten uit de Groote Oorlog: de geallieerden’, *Prora*, 20/4 (2015), 11-20); maiorem autem et pleniorum conspectum litterarum Latinarum ad ipsum bellum spectantium divulgaturus sum in commentariis q.t. *Humanistica Lovaniensia*, anno 2016 dicatis.

³ Raynaldus D’Ambrogio, *Carmina* (Verulis, 1930), p. 22 (legitur in carmine c.t. ‘Mavors’).

⁴ ‘Annales’, *Alma Roma*, 1 (1914 [Idibus Augustis]), 74-76 (pp. 74-75).

⁵ Facere non possum quin locum quandam heic afferam, qui eam spectat ad rem, quam omnibus innotuisse suspicor. Nam ineunte bello illo omnes fere gentes suspensis animis belli exitum exspectabant eumque intra paucos menses fore suspicabantur; haec igitur spes vulgus fefellit; cuius et Fornarius iniecit in *Annalibus* suis mentionem, cum scriberet haec (*Alma Roma*, 1 (1914), 114-116 (p. 114) [Idibus Octobribus anni 1914]): ‘Bella nostris diebus haud diutius, ob omne genus maxime tormentorum inventum, duratura nonnumquam audivimus; tristes, e contrario, eventus docent nihil aliud quam hominum immanius exitium saeviter inde parari. Ita factum est ut, post menses duos iam inter clades actos, bellum quod Europam omnem directe aut indirecte vexat nedum ad finem properet, neutquam ulla vi extenuetur. Trifariam praecipue nunc pugnatur: inter Germanos et Gallos; inter Germanos et Russos; inter Russos et Austriacos’.

Nimium diu mollia agebamus otia, cruento Marte carentes; iam pridem excitabatur pubes nostra classico truci, iam pridem horrida saeviebant bella. At hercle almam pacem, qua Deo favente tot iam annis fruebamur, vis quaedam maligna invidisse nobis videtur. Et ne probissimus quidem in pace vivere potest, si vicino impio non libet.

Talem autem habet vicinum patria nostra. Serbiani, barbarorum populus immundus, qui ab antiquissimis temporibus regum suorum caedibus gaudebant, denique Manus sceleratas in regem nostrum futurum intentavere. Franciscus Ferdinandus ex insidiis interfactus est, cum in Bosnia copiis recognoscendis operam daret. Sicarii autem a Serbianorum viris principibus, qui summis rebus praesunt, ad facinus committendum conducebantur. Quod indiciis paricidarum ipsorum luce clarius apparebat. Nunc iam sine dedecore nostri nominis quieti manere nequivimus et a Serbianis res repetivimus. Frustra. Popellus insolens, a Russis concitatus, bellum omnium contra omnes movit.

Ut enim ad Germanorum imperatorem potentissimum belli indicti nuntius pervenit, suum esse putavit omnibus suis viribus socio suo, regi nostro, apostolico auxilio properare. Sic nunc Hungari, Austriaci et Germani inter se iuncti cum totius fere orbis terrarum populis turpi foedere sociatis bellum vehementissimum gerere coguntur. Militibus refertae sunt urbes iuxta flumen Vistulam, Oceano adiacentes campi strepentibus armis gemituque morientium resonant; densa legionum agmina, inter quae colorati feri, a Britannis et Gallis arcessiti – utriusque nationi dedecus sempiternum!

At nos exercitus fortissimi cum signis intemeratis, sub auspiciis regis nostri carissimi atque imperatoris Germanorum invicti optima sperare iubent. Neque victoria hostium esse potest, quia ubi fides, ibi virtus; ubi virtus, ibi victoria.⁶

Integrum per quadriennium saeculi superioris, auditores, saeviit bellum, quod post insidias et duplex istud scelus Seraiense⁷ exarserat, totamque deinde Europam orbemque terrarum graviter afflixit; in tantis tamen calamitatibus mirus fuit poetarum Latinorum proventus. Eorum carmina, hoc aevo oblitione prorsus obruta,⁸ scripta sunt ac divulgata vel eis ipsis annis, cum ubique terrarum increparent arma vel paulo post quam siluerunt ipsa; huc accedunt ii versus, qui multis interiectis annis ad hunc usque diem de bello illo vere magno, immo universalis, sunt facti. Nam nemo vestrum mirabitur quod per haecce ultima semestria, centum revolutis ab orto bello illo panoctsmio annis, carmina quaedam notissima, sermonibus vulgaribus perpolita, in Latinum sermonem sunt conversa; etenim ubivis gentium sollemniter celebratur saecularis memoria belli; itaque (exemplum ut ponam) illud poematum quod Sigefridus Sassoon pepigerat et *Does it matter* Anglice inscripserat, abhinc quinque annos Latine reddidit Paulus Murgatroyd palaeophilologus minime ignobilis:

Dic mihi: num refert ambo deperdere crura?
Namque tibi mites semper erunt homines.
Venati redeunt alii dapibusque fruuntur,
Sed potes invidiam dissimulare tuam.
Dic mihi: num refert ambos deperdere ocellos?
Sunt opera caecis scilicet egregiae.
Cumque sedens vultum et vertens ad lumen in horto
Res repetes, mites semper erunt homines. (...)

⁶ ‘Bellum nostrum’, *Iuventus*, 6 (1914-1915), num. 1, 1-2.

⁷ Cfr. ‘Poplicola’, ‘Annales’, *Alma Roma*, 1 (1914 [Idibus Iuliis]), 54-55 (p. 54): ‘Veluti fulminis ictus, necopinatum, horribile nuntium, die XXVIII elapsi mensis Iunii, universum orbem pervasit. Franciscus Ferdinandus, Magnus Austriae Dux, regni haeres, eiusque uxor, Sophia Chotech, Ducissa de Hohenberg, Sarajevo, in Bosniaca urbe, nefarie interempti sunt’.

⁸ Paucis exceptis commentationibus quae de litteris bellicis in lucem sunt editae. Harum omnium commentationum dignissima est quae memoretur T. Sorbelli, ‘Riflessi della guerra mondiale nella poesia latina contemporanea’, in C. Galassi Paluzzi (ed.), *Atti del III Congresso nazionale di Studi Romani*, 4 (Bononiae, 1935), pp. 138-164; cfr. praeterea J. IJsewijn-Jacobs, *Latijnse poëzie van de twintigste eeuw* (Lier, 1961), pp. 57-64: ‘Problemen- en strijdpoëzie’; T. Deneire, ‘Four Latin “poeti e guerrieri” of the Great War’, in D. Sacré – J. Tusiani iuvante T. Deneire (eds.), *Musae saeculi XX Latinae. Acta selecta conventus (...) Romae in Academia Belgico anno MMI habiti*, Belgisch Historisch Instituut te Rome, Bibliotheek, 58 (Bruxellae – Romae, 2006), pp. 107-132; Marcus Cristini, ‘De Latinis litteris mundano flagrante bello: 1914’, *Vox Latina*, 51 (2015), 2-11; Id., ‘De Latinis litteris (...): 1915’, *ibid.*, 171-185; Id., ‘De Latinis litteris (...): 1916’, *ibid.*, 310-331; Id., ‘De Latinis litteris (...): 1917’, *ibid.*, 474-498; Id., ‘Memoriae dies’, *Melissa*, 183 (2015), 12-13.

Siegfried Sassoon, *Does It Matter?*

Does it matter ?– losing your legs?...
For people will always be kind,
And you need not show that you mind
When the others come in after hunting
To gobble their muffins and eggs.

Does it matter ? – losing your sight?...
There's such splendid work for the blind;
And people will always be kind,
As you sit on the terrace remembering
And turning your face to the light. (...)⁹

Idem vero mos carminum bellicorum Latine interpretandorum iam ante invalescere cooperat: hinc Iohannes Lee Pulling, praceptor Latinitatis apud Antipodas, natione Australianus, celeberrimum illud carmen a Iohanne Arkwright (1872-1954) compositum, cui est titulus *The Supreme Sacrifice*, libro insertum cui est index *The Supreme Sacrifice and Other Poems in Time of War* (Londini, 1919), Latino donavit iure versionemque ita est exorsus :

Tot proeliorum ex pulvere et ignibus
Ad astra lati, iam requiescit,
Virtute praelucente, fortes
O juvenes patriae sacrandi. (...)

O Valiant Hearts, who to your glory came
Through dust of conflict and through battle-flame,
Tranquil you lie, your knightly virtue proved,
Your memory hallowed in the Land you loved. (...)¹⁰

Itaque finis postquam est factus bello, recordationes rerum tum gestarum minime deposuerunt homines; ac nonnulli poetae de casibus quibusdam conspicuis poetari vel eiusdem belli eventus exponere perrexerunt, utputa cum fasces Mussoliniani tota micarent Italia et poetae, ducem suum secuti, conquererentur quod sui cives, licet e bello descendissent victores, victoriae tamen fructus cepissent vel paucos vel omnino nullos.¹¹ Haud secus, odiis iterum gliscentibus atque impendente bello universalis altero, timebant poetae ne novae exortae procellae stragem ruinamque denuo ederent, - atque undique resonabat illud Vergilianum “ergo inter sese paribus concurrere telis...”¹² Hinc Iosephus ille Morabito (1900-1997), optimus poeta, anno 1939 hosce versus egregio carmini interseruit cui *Solitudo* est inscriptio:

Altera iam facies torvi saevissima Martis
Omnibus apprens anxia corda premit.

⁹ ‘3 First World War Poems’, *Vates* [in rete omnium gentium], 2 (2010), 16-18.

¹⁰ Cfr. I.L. Pulling, ‘Munus supremum’, in *Barbitos. Experiments in Verse-Translation* by J. Lee Pulling (Melburni, 1939), p. 97; J.S. Arkwright, *The Supreme Sacrifice and Other Poems in Time of War* (Londini, 1919), pp. 17-18 (quo libro continetur altera poemati versio Latina [pp. 75-76], facta a Ricardo Durnford).

¹¹ Cfr., ut exemplum proferam, hi versus Vincentii Pellecchia, qui leguntur in libello c.t. *Musa silvestris in solemnia P. Vergilii Maronis Neapoli acta anno VIII a fasc(ibus) cond(itis) (...)* (Salerni, 1931), in cantu altero: ‘Post bellum ingens, horrendum, implacabile, dirum / Itala quod pubes patriis pro finibus egit, / postquam sunt matres natis nuptaeque maritis / orbatae et multo perfusa est sanguine terra, / postquam Roma caput solemnia festa triumphi / duxerat, ecce ardens febris Lenina perurit / insanae plebis diris fervoribus artus/ (...). Ipse redux bello miles iam vulnere laesus, / deritus transit spretusque a plebe furenti.’

¹² Verg., georg., 1, 489. Cfr. IJsewijn, *Latijnse poëzie*, p. 58, ubi afferuntur versus quos R. Delbiausse anno 1937 scripsit (“Namque iterum sese demens effundere toto / barbarus orbe parat (...”).

Agminibus rursum committent agmina mille
 Proelia: quassabunt murmura longa solum.
 Mox odium spissas impellet utrimque phalanges,
 Sanguine mox fratrum tota madebit humus. (...)
 Funereas vestes, matres patresque, parate:
 Inficit maestis fletibus ora dolor...
 Nonne satis lacrimae, queis immaduistis? Anheli
 Nonne satis questus, factaque vota Deo?
 Horrificias moles, heu, quot cecidere ruinis
 Cum fureret toto Mars ferus orbe simul!
 Urbes deiectae veterum monumenta virorum
 Flere videbantur: tanta ruina fuit!
 At tandem rerum post tot discrimina ramos
 Pax oleae fessis gentibus alma tulit;
 Vulnera purpureis sed adhuc manare videntur
 Guttis nec gemitus, corde micante, tacent.
 Nunc, heu, nunc rursus belli saevissimus horror
 Ingruit et gelidus pectora rursus habet. (vv. 1-6, 11-24)¹³

Sed etiam posteriore saeculi illius parte occasiones magni illius belli memoriter repetendi obtulerunt se poetis; nam, exemplum ut afferam, cum anno 1967 in iugo quodam montium nivibus obtecto corpus militis cuiusdam Alpini prioris belli universalis incorruptum, delapso nivium tumulo, inventum pauloque post, cum esset aeri et soli obiectum, in pulvrem esset redactum atque dispersum, ansam inde de bello illo canendi cepit Iohannes Baptista Pigatus (1910-1976), poeta validissimus, qui *De milite redivivo* edidit carmen sat longum, at laude procul dubio dignissimum:

Aeternis candens nivibus glacieque coruscans
 Solus Adamellus mediisque ex Alibus ingens
 Consurgit lataeque tenet mons regna quietis.
 Illic, cum vasti belli feritate periret
 Europa Austriacam ob noxam submersa ruinis,
 Plurima pugnarum series, seu mole globorum
 Projicta, re per gladios seu cominus acta.
 Haud raro caelum plumbo grave, nubibus atrum
 Oppositisque simul scissum in contraria ventis
 Excidium pestemque aliam vibrabat ab alto:
 Tum nivium pulsis celeri glomeramine acervis,
 Omnia convelli, silvae cautesque hominesque,
 Et dare inauditum fragmenta voluta boatum. (...) (vv. 1-13) ¹⁴

Neque carminibus tantum atrocissimi belli memoria est celebrata, verum etiam extant tituli Latini, qui ad res eo tempore gestas referuntur, quibus vel gloria nationum victricium, vel invictae caesorum militum virtutes sunt Latine collaudatae; tales ergo titulos tota Europa atque America offendetis monumentis incisos. Quodsi nonnulla cupitis exempla, ecce pauca proferre me iuvat. Ab hoc incipiam titulo omnium fortasse famosissimo, quippe qui nil nisi ultionem videatur spirare; qui Berolini olim legebatur, a Rinaldo Seeberg (1859-1939), theologiae professore academico, excogitatus, quo monumentum exornaretur in pias memorias caesorum militum academicorum erectum; quod monumentum paucis post bellum annis in horto quodam studiorum universitatis Berolinensis exstructum est atque anno 1926 inauguratum praesente Paulo von Hindenburg (1847-

¹³ G. Morabito, *Latina fides. Carmina, epistulae, odae, epigrammata selecta. Con versione italiana* (Mediolani, 1979), pp. 30-36 (p. 30).

¹⁴ I.B. Pigatus, ‘De milite redivivo’, in Giovanni Battista Pigato C.R.S., *Opere poetiche latine*, ed. P. Camporini (Novi Comi, 2006), pp. 507-525. Ceterum carmen quoddam novum ac Latinum de priore illo bello mundano nuperrime excogitavit Brad Walton, ‘After the Raid’, *Vates*, 4 (2011-2012 [in rete omnium gentium]), 3-6.

1934), Germanorum tum praeside eodemque summo olim Germanorum duce militari; elogii autem verba erant haec:

INVICTIS VICTI VICTVRI.¹⁵

Alii tituli iique minus clari passim reperiuntur. Illis autem temporibus apud Italos fama florebat Hector Stampini (1855-1930) palaeophilologus, Thomae illius Vallaurii alumnus idemque commentariorum qui *Rivista di Filologia e di istruzione classica* inscribuntur moderator; quo auctore lapis est positus in honorem medicorum Taurinensium qui mortem obierant dum sauciis succurrunt militibus:

SAVCIA.VT.ERIPERENT.IN.PVGNA CORPORA.MORTI
IMPAVIDI.MVNVS MORTE OBIERE SVVM
AT.NOS.IN.TABVLA.MEDICORVM.NOMINA.AHENA
SCRIBIMVS.HIS.ADDENT.SAECVLA.CANA.DECVS

ORDO.MEDICORVM.TAVRINENSIVM
P¹⁶

Huc accedunt etiam narrationes, epistulae, aliaeve scriptiones oratione soluta eaque Latina exaratae, quae ad id bellum et ad victorias, clades, milites, imperatores casusve varios ac diversos spectant.¹⁷ Itaque monachus quidam Franciscanus natione Germanus stipendia merens “in legione pedestri 272 adiutrice”, qui primum in fossis Gallicis pugnaverat, tum in regionem Galicianam sive in orientalem partem imperii Austriaco-Hungarici missus, vehementissimis eis interfuerat proeliis quae cum Russis gesserunt Germani et Austriaci, ineunte mense Maio anni 1915 “e fossa bombardica Galiciae” ad *Iuventutis Budapenstinensis* moderatorem litteras dedit, quaeque in acie viderat ipse et expertus erat fusius narravit, addita prece ut relatio in *Iuventute* divulgaretur, “cum incertum sit an proximis diebus … vivere liceat”.¹⁸ Vitam etiamsi quodammodo spirent (addo et mortem) tales litterae, quas dum legimus, facile percipimus quam durae quamque inhumanae fuerint eis militibus gregariis condiciones bellicae, tamen ad alterius generis epistulam animum advertere hoc loco malumus. Agitur enim de scriptione prorsus ignota, singulari admodum ac digna quae penitus inspiciatur; non est enim epistula, quam miles ad commentarios nescio quos

¹⁵ Monumentum dirutum est altero saeviente bello. Cfr. K.-D. Gandert, *Vom Prinzenpalais zur Humboldt-Universität. Die historische Entwicklung des Universitätsgebäudes in Berlin* (...) (Berolini, 1986), pp. 174-176 (at p. 175 irrespit error; nam ibi legitur ‘Invictis victi victori’). Adagium illud ‘Invictis victi victuri’ postea etiam Bambergae et aliis in urbibus Germaniae usu increbruisse videtur. Paulo Thoen et Gaio Licoppe gratias ago, quod me de singulare eo titulo monuerunt.

¹⁶ Cfr. Hector Stampini, ‘Epigrammata’, *Rivista di Filologia e di istruzione classica*, 49 (1921), 468. Eodem auctore aliae multae inscriptiones sunt conditae, quarum pars, lapidibus non incisa, in libris tantum est divulgata. Haud invenusta est semipoetica illa inscriptio, c.t. ‘Post XL annos’ (*ibid.*, 45 (1917), 432-434), in qua commoventissima offenditur mentio belli panoctsmii; neque praetereunda est prolixa ea inscriptio ‘In honorem Woodrow Wilson et Foederatarum Americae civitatum’ exeunte anno 1918 conscripta (*ibid.*, 47 (1919), 1-4), qua praesidi et populo Americano gratias egit summas pro militum exercitibus in Europam missis.

¹⁷ Cfr. inter alia haec: I.B. Francesia (qui fuit etiam dramatum Latinorum auctor), ‘De Ferdinandio Foch’, *Alma Roma*, 5 (1918), 154-155; Iacobus Tasset (qui apud Francogallos commentarios postea edidit Latinos, q.t. *Apis Romana*), ‘Erratica bellatoris aerii vita. De Gervasio Rodulfo Lufbery, cohortis tribuno’, *ibid.*, 162-163; N., ‘Otho Weddigen’, *Iuventus*, 6 (1914-1915), num. 11 (Kal. Mart. a. 1915), 81; Extat etiam (cfr. Cristini, ‘De Latinis litteris’, pp. 9-10) epistula missa e quodam publicae custodiae campo; nam sacerdos quidam, Georgius Tibauts nomine, die duodevicesimo mensis Decembris anni 1914 ex castris campi Fridericiani sive Friedrichsfeld litteras ad Patrem Franciscum Xaverium Reuss dedit qui rationes vitae ibi degendae depingeret; quae epistula medio mense Ianuario in *Alma Roma* est divulgata (‘Solatia in adversis...’, *Alma Roma*, 2 (1915), 9-10). Mihi vero parum constat easne litteras Latine ipse exaraverit captivus sacerdos, an Gallice scriptas cum accepisset Latine reddiderit Reussius.

¹⁸ M. Skutella, ‘Litterae militis Germanici’, *Iuventus*, 6 (1914-1915), num. 13-14 [Kal. Iun. a. 1915], 100-101. Cfr. appendix huiuscemque commentationis.

Latinos dedit ut casus ipse exponeret suos, verum oratio quasi quaedam epistolaris complurium virorum nomine missa ad summum civitatum Americanarum moderatorem. Nam anno 1919 typis Lipsiensibus prodierunt sine nomine scriptae litterae, hoc inditae titulo: *Epistola aperta ad Woodrowium Wilson conscripta ab amico generis humani* (Lipsiae: Commissum viris industriosis Fritzsche & Schmidt. In vico suburbano Stötteritz, 1919).¹⁹ Quis libellum octo fere paginarum conscipserit, non liquet; professorem academicum Lipsiensem equidem fuisse opinor; ac fuerunt ea tempestate magni nominis philologi in studiorum universitate Lipsiensi, veluti Richardus ille Heinze (1867-1929), quem ego virum semper sum veneratus; non tamen eo adduci possum ut credam Heinzium opusculi fuisse auctorem; namque epistula illa aperta, licet sententiis sit explicata satis longis atque intricatis, elegantia tamen caret vere Tulliana, interdum et Latinitate, qua si quemquam, Heinzium certe praestitisse sentio. Iam vero id ipsum, quod ad Latinum confugit sermonem auctor, admiratione dignum mihi videtur esse; qua in re ego sic opinor, scriptorem, quisquis fuerit, neque victorum uti lingua voluisse vel Anglica vel Gallica, neque ad sermonem patrium suum Theodiscum descendere, quod is esset civibus Americanis parum pervius; ceterum opusculi iudici astipulor asseveranti eiusmodi epistulae, quippe quae tota esset de humanitate servanda ac defendenda, mirum in modum convenire Latinum sermonem.²⁰ Ut cumque res sese habuit, quo tempore de pace Versaliae apud Gallos agebatur, scriptor ille Lipsiensis²¹ Woodrowium Wilsonum, praesidem civitatum unitarum Americae septentrionalis, cum prece adiit hac, ut miti is erga Germanos et Austriacos animo esse pergeret, atque in ea erga eosdem benevolentia perstaret, quam anno ante in senatu Americano ostendisset, cum quattuordecim consilia proponeret ad pacem universalem fovendam – ea dico consilia ob quae Wilsonius ipse praemio pacis Nobeliano est anno eius saeculi undevicesimo decoratus. Praesagiebat enim quid futurum esset epistulae scriptor praevidebatque fore ut victorum grex tales condiciones mansuetiores reiceret, ut eas quattuordecim punctationes sive consilia nihili penderet, et ut victi durum sub iugum subigerentur. Scriptor ergo, tales condiciones iniquiores reicere atque procul repellere cupiens, pericula quae erant exoritura exposuit, si Germani iniuste atque iniuriouse essent tractati, populus cuius ille dignitatem hac epistula impense tuebatur, cuiusque imperatorem etiam post cladem defendebat, laudandum esse eum asseverans quod foedus cum imperatore Austriaco iecisset – namque id omni luce clarius omnibus erat, ‘fore ut ipse [imperator Germanorum] in fide permansurus Nibelungorum vere Germanica quod illi [imperatori Austriacorum] instaret, idem ad se pertinere et pro eo omnia sua praesidia militaria educenda existimaret’.²² Iuvat me duos locos ex epistula excerptos heic afferre:

¹⁹ Contigit mihi ut opusculum illud mense Februario anni 1919 editum reperiorem, postquam in foliolum quoddam incidi, quo continebatur libelli existimatio typis excusa ac nescio ubi divulgata: ‘Ein lateinischer offener Brief an Wilson’, iudice Maximiliano Schneidewin; appositus est vel existimationi, vel ipsius divulgationi dies, qui fuit 30us mensis Aprilis anni 1920. Schneidewinius (1843-1931) his verbis absolvit iudicium: ‘Jetzt, seitdem der Friedensschluss ganz anders ausgefallen ist, müssen wir sagen, dass auch dieser gewiss wohlgemeinte und sympathische Versuch einen Schlag ins Wasser darstellt. Aber als ein kleines Denkmal aus einem der tragischsten Jahre der deutschen Geschichte verdient gewiss auch er, nicht spurlos zu verschwinden’.

²⁰ Schneidewin, ‘Ein lateinischer offener Brief’: ‘Noch tiefer mag wohl das Gefühl mitgewirkt haben, dass die Sprache, welche die Mutter des Begriffes der Humanität geworden ist, am geeignetsten sei, die Bitte um Gerechtigkeit und Humanität bei den Friedenverhandlungen in dem reinen Tone der Ursprünglichkeit dieser Begriffe zum Ausdruck zu bringen’.

²¹ Qui fortasse collegarum quorundam suorum pressit vestigia; nam ineunte mense Novembri anni 1918 doctores Lipsienses circiter octoginta libellum supplicem ad praesidem Americanum curaverant mittendum ut pacis condiciones aequas ab ipso peterent; quem libellum videntur memorasse acta diurna, q.t. *Leipziger Neueste Nachrichten*, die 8 m. Nov. edita (quae nondum vidimus), p. 2: ‘Ein offener Brief der Universität Leipzig an Präsident Wilson’; cfr. U. von Hehl, G. Heydemann, K. Fitschen, F. König, *Geschichte der Universität Leipzig 1409-2009*, III: Das zwanzigste Jahrhundert 1909-2009 (Lipsiae, 2010), p. 69.

²² *Epistola aperta*, pp. 5-6.

In quem suae sibi dignitatis iustissimo iure conscientum non sic consultum fuerit, ut eius dignitatis usquequaque religiosa habeatur ratio, in eius animo atque adeo intestinis visceribus fieri non potest quin acerbissimus aculeus resideat, nec umquam in pectoris arcano clandestinae spes conquescant fore ut aliquando ex suis ossibus ultor exoriatur, atque ipse occasionibus praestoletur, quae potestatem allatura sint ea quae apud se volvere non desinit ad exitum perducendi; et sub iniquae pacis condicionum favilla semper scintillae lateant necesse est ad incendium erupturae, id est talem occasionem aliquando praebiturae, si mentitiae (qualis tunc futura est) pacis incommoda exsistent.²³

Quod ad hoc tempus ad aures nostras de clandestinis consiliis Germaniae hostium pervasit et ex indutiarum condicionibus durissimis confirmatur, videntur illi in animo habere populum magnum, fortem, generosum, vetustissimum inter Europae populos, pristino splendore insignem, de progressu generis humani grandibus beneficiis optime meritum, quoniam haec occasio per sinistrum huius infortunium novissime illis contigit, non legitimis tantum iniunctionibus, quales nimirum victis ferenda sunt, afficere, verum etiam novis, quas immitti animo commenti sunt, calumniis vexare, humiliare, de suae dignitatis gradu deicere, in omne tempus ne respirare possit efficere. Hoc crudelitatis esset perversae, indignissimum ea quae bene moratos populos decet magnanimitate. Hoc tu numquam concedes.²⁴

Quid multa? Animum ipse induxi iter Lipsiense instituere, documenta ibi academica eius aevi excutere, si possem epistulae scriptorem e tenebris eruere eiusque opellam singularem aliquatenus illustrare; nam opusculum illud anno bismillesimo duodevicesimo publici denuo facere iuris pervelim.

Ad rem ut redeam, auditores, elegi, carmina, poemata de priore bello universalis (nam reliqua oratione nihil fere de prosâ scriptis sum dicturus) tot sunt pacta, ea ut in conspectu ponere heic nequeam. Edita sunt sesenta, inedita latent multa, ut puta in tabulario Harlemensi Certaminis Hoeufftiani Amstelodamensis; namque carmina praemis non honestata Vulcano minime tradebantur (ut diu erat fama), sed paucis exceptis Harlemi adhuc adservantur.²⁵ Hoc ergo loco, cum omnia complecti non valeam, poesis bellicae degustationem tantummodo quandam, si hoc mihi verbo licet uti, sum demonstratus.

Minime igitur multos reperietis poetas qui Camenae litaverint dum stipendia ipsi merentur atque in exercitu militant.²⁶ Excipiendus est cum paucis aliis Hermannus ille Weller, (1878- 1956) natione Germanus, qui anno eius saeculi decimo septimo *Epistulam castrensem* scripsit,²⁷ ab ipso vero

²³ *Ibid.*, p. 2.

²⁴ *Ibid.*, p. 5.

²⁵ Ergo qui programmata certaminis scrutatur, lectis carminum titulis facile videt quae opera inedita ad bellum id panoctis referantur. Exempla haec pauca affero: (Cert. Hoeufft. anni 1915) *Ad pacem, Belli vis, Bellum, De caede Serajewensi*; (Cert. Hoeufft. anni 1916) *De immani diversarum gentium bello, Lusitaniae fatum, Belgarum fatum*; (Cert. Hoeufft. anni 1917) *Tricolor Italicus, Militis mater, In obitu Austriae imperatoris, Bellum undique saeviens*; (Cert. Hoeufft. anni 1918) *Vacatio militis, Fatum Austriae*; (Cert. Hoeufft. anni 1919) *Egregius vitor, Post bellum Europaeum, Poeta miles, Fiat pax, Pro pace exoptata*; (Cert. Hoeufft. anni 1920) *A Caprieto ad Victorium Venetum, Kitchener [carmen, c.t. Kitchener, miserat Alphonsus Maria Casoli]*, et ita porro.

²⁶ De his paeprimis egit Deneire, ‘Four Latin’. Huic gregi militum et poetarum adiungendus est, nisi fallor, Alexander Lawrence, quem postea attingam.

²⁷ Deneire, ‘Four Latin’, pp. 112-115; de Wellero poeta etiam egere V. Fera, ‘Giuseppe Morabito e Hermann Weller’, in Sacré – Tusiani – Deneire, *Musae saeculi XX*, pp. 133-209, et U. Dubielzig, ‘Hermann Wellers lateinische Dichtung’, in H. Brückner, U. Dubielzig, K. Plieninger, *Weite Horizonte. Hermann Weller 1878-1956, Klassischer Indologe, Lateinischer Dichter, christlicher Humanist* (Gamundiae, 2006), pp. 58-107. Quo tempore fetus Latinos divulgare coepert nondum liquet; dicitur autem anno 1904 primum in publicum prodisse (cfr. Dubielzig, ‘Hermann Wellers Lateinische Dichtung’, pp. 84 et 95). At ipse nuper incidi in versionem quandam Latinam ab eo factam atque anno 1900 typis excusam: “Vale” hirundinum”, *Praeco Latinus*, 7 (1900-1901), num. 1 (m. Oct. a. 1900), 8 – quae et legitur inter eius *Carmina Latina* (Tubingae, 1946 – quae est ‘secunda editio aucta’), p. 261 (differt tantum v. 7, hoc modo excusus in commentariis Americanis: “Quum sacer ad tepidos iterum cygnus fugit austros”); ceterum Weller iam antea epistulam quandam Latinam dederat ad Arcadium illum Avellanum, *Praeconis Latini Philadelpheni moderatorem*; cuius particula est edita in *Praecone Latino*, 6 (1899-1900), num. 5 (m. Feb. a. 1900), p. 113; haec enim Avellanus: “Ex eodem fonte sententiam Cl.

carmine bellum maximam partem seclusit.²⁸ Dignior fortasse est qui memoretur Iosephus Bradney (1859-1933) Cambriensis sive Anglus natione, qui una cum filio in fossis Flandriae Occidentalis et Galliae septentrionalis dimicavit, eundemque filium nomine Valtharium ad finem iam vergente bello interemptum doluit; currus enim loricatus, quo ille vehebatur, pyrobolo ictus est atque igni absumptus. Versus de casu hoc funesto satis rudes, si ad artem respicias (iam id ipsum, quod poeta hendecasyllabos cepit, admirationem mihi movet), sed flebiles ac miserables panxit Bradneius pater, cum alias, tum hos:²⁹

Natu proximus ex meis fuisti,
Tu, carissime quinque liberorum
Quos uxor mea cara parturivit. (...)
Tum subito malignus Hunnus
Bellum indixit, et apparamus arma.
Cepisti arma (...).
Mox mens te tua duxit ad novas res.
Troiae nos revocamus acta bello;
Instar montis equus fuit diebus
Illis. At hodie caverna multa
Cisternae³⁰ similis per arva caedem
Infert hostibus et necem cruentam.
Cisterna in calida fere perustus
Vitam pro patria tua dedisti.
Quanta est gloria fortiter cadenti!
Nos desiderio movemur alto;
Discessit mea lux domusque nostrae.
Mense Novembbris
A.S. 1918 (vv. 1-3, 15-17, 20-30)³¹

Tales vero ‘milites iidemque poetae’ raro, quod sciam, reperiuntur; maius est agmen eorum qui ea poetice denarrarunt quae vel a cognatis, agnatis, familiaribus compererant, vel nescio ubi fando audierant, vel in actis diurnis legerant. Quorum, inquam, tanta est copia, ut habitu delectu paucissima tantum exempla mihi liceat afferre.

Ac primum quidem civium mentes quam amentes, hostibus aliis in alios grassantibus, fieri soleant, ostendam, poetas quosdam adducturus amore in patriam nimio, uti mihi videtur, inflammatos. Deinde ea carmina attingam quibus res quaedam in eo bello gestae narrantur. Denique ad quem virtutis poeticae gradum in eo carminum genere possit perveniri, adumbrare conabor et imitationis aemulationisque rationes, quae tum obtinuerunt, aliquatenus patefacere temptabo.

Arminii Weller, Germani, Virtembergici, hauriebamus, abs se Latine sic expressam: ‘*Praeco Latinus* in dies mihi magis placet. Iam enim intelligo totum ingenium, totam voluntatem huius Commentarii. Quam stultum, quam absurdum est postulare, ut Ciceroniane scribamus. An Germanorum quisquam Goethiane scribet? Tamen Commentarium nostrum etiam Classice, ut ita dicam, scribere posse, optime demonstrat! – En totam philosophiam coepti nostri in nucleo! Rectissime! Bellum enim nos non Classicis intulimus, nec non id gerimus, sed fanaticis, qui Latinitatem omnem ad Tullium referunt (...).”

²⁸ Idem vero alias de bello illo egit; in quis maxime me moverunt questus ei carmini interserti, quod *Regnum paupertatis* inscribitur.

²⁹ Cfr. Deneire, ‘Four Latin’, pp. 123-131.

³⁰ Huic voci Latinae respondet Anglic ‘tank’, quae latissime patet atque ob id ipsum ad rem designandam ab Anglis erat delecta, sperantibus fore ut Germani nescire diu pergerent ecquodnam novum tormenti genus invenissent hostes, donec eius vim perniciosissimam experirentur. Ceterum illis annis diu est disceptatum quonam modo vox illa Latine esset reddenda: cfr., ut alia mittam, Iosephus Fornari, ‘De hodiernis machinis bellicis quae vulgo tanks appellantur’, *Alma Roma*, 5 (1918), 177-179.

³¹ ‘In Walterum, filium meum natu minimum, in proelio occisum 24to Martii a° 1918’, in I.A. Bradney, *Noctes Flandricae* (Londini, 1919), pp. 32-33; cfr. Deneire, ‘Four Latin’, pp. 130-131.

Latinas igitur dum litteras defendimus quantive sint illae in adulescentiae institutione momenti ostendimus, affirmare saepe solemus, ad humanitatem adulescentes informari dum Latine discunt, quod thesauros Latinos cognoscentes a praeiudicatis vulgi sententiis falsisque et fallacibus praesentis temporis opinionibus abducantur, adducantur ad veras virtutes cognoscendas atque amplectendas. Longe tamen secus est, ubi fuit Mavors. Tum mores passim efferantur, tum caecutiunt oculi, parum prospicientes, ad rationes alienas caeci, tum obturantur aures, surdae ad questus iustos gemitusve aliorum, tum in rebus modum retinere vix valet hominum genus humanitatemque paene exuit. Qua in re nihil differunt poetae Latini a vernaculis. Nihil, inquam, Latini vates nostri, qui bellum id cecinere, discrepabant a Rudyardo illo Kipling, poeta Anglo, innumerisve aliis, qui arte persuadendi abutebantur, suam quisque veritatem venditabant, patriaeque suae quasi bucinatores quidam in civium suorum animos odia erga hostes implacabilia instillabant, immo ingurgitabant. Itaque intemperantia atque insolentia illa etiam in gymnasiorum aulas penetravit atque intra parietes scholasticos est illapsa. Vel hoc mecum legite Adolfi Rademann (1853-1916), praeceptoris Germani, carmen rhythmicum quod anno 1915 divulgatum est in commentariis, quibus tum erat titulus *Das humanistische Gymnasium*, his autem temporibus *Gymnasium*. Inscrribitur *Carmen bellicum*, eoque consilio videtur esse emissum, ut ab adulescentibus Germanis gregatim caneretur; namque cantionem eam auditoribus academicis notissimam aliquatenus imitatur, cui est titulus *Gaudeamus igitur*:

- | | |
|---|---|
| <p>1. Gaudeamus igitur,
Quamvis furat bellum!
Deo Maximo iuvante
Atque nostram rem curante
Proficit duellum.</p> <p>2. Vivat Gulielmus dux
Summus Germanorum!³⁴
Pacis amans est petitus,
Strinxit gladium invitus
Conscius maiorum.</p> <p>3. Iussu regis³⁵ undique
Manus confluxere:
Iuvenes et veterani,
Imbecilli nec non sani
Armis se dedere.</p> <p>4. Praeest eis copia
Ducum praeclarorum.
Quis non arti militari
Omnibus fortunis pari
Adstupet eorum?</p> <p>5. Primum tamen obtinet
Inter omnes locum
Is, qui Hindenburg³⁷ vocatur;</p> | <p>6. Mira pertinacia
Id, quod vult, sectatur:
Russos fudit cum virtute,
mersit citus sub palude³² -
Quis non delectatur?</p> <p>7. Nihil ‘Berta diligens’³³
Nostras spes fefellit:
Francos, Belgas calefacit,
pyrobolos grandes iacit,
Opera divellit.</p> <p>8. Zeppelinum comitem³⁶
hostes et pavento!
Deleat Londinium,
vanitatis scrinium,
Ferro tormento!</p> <p>9. Hostium consilia
Foede perierunt:
toto populo surgente,
praeter spem consentiente
Fructus non ceperunt!</p> <p>10. Deus a Germanis stat,
sortis nostrae sator.
Quam fortunam cumque dabit,</p> |
|---|---|

³² Significatur pugna Tannenbergensis et proelium ad Lacus Masurius; illa exeunte mense Augusto, hoc ineunte mense Septembri anni 1914 est commissum; bis fudit exercitus Russicos Hindenburgius dux.

³³ Instrumentum id bellicum sive tormentum ignivomum postea, cum alterum iam bellum mundanum instaret, soluta oratione accurate descriptis H. Lis, ‘De Bertha quae dicitur crassa’, *Societas Latina*, 4 (1936-1937), 63-64.

³⁴ Gulielmus II imperator (1859-1941; imperium depositum ineunte mense Novembri anni 1918).

³⁵ Gulielmus II imperator Germanorum erat idemque rex Borussorum.

³⁶ Aeronavigia dicit poeta, quae a comite Ferdinando von Zeppelin (1838-1917) excogitata erant atque constructa.

Eius nomen celebratur
Quemlibet ad focum.

nemo nostrum vacillabit.
Vivat Imperator!³⁸

Eodem fere animo Fridericus Holler (1867-1951), Latinitatis praeceptor apud Norimbergenses, carminum bellicorum a se ipso conditorum florilegium bis publici fecit iuris; nam Norimbergae primum anno 1917 anthologumena ea curavit excudenda; auctiora deinde Vratislaviae prelis commisit anno 1935 – inde factum est ut libri secundis curis editi coronis quasi quaedam esset carmen in laudem Adolphi Hitler. Multa ibi congesta videoas carmina rhythmica, quippe quae discipulis iunioribus intellectu faciliora essent et commodius cantari possent; ceterum Hollerus ita sensit, scholis Latinis immiscendas praeter annales antiquos esse res praesentes, ut transirent alumni “von der grauen Vergangenheit in die frische Gegenwart, von der Welt der Schule in die Welt des rings flutenden Lebens”. Quamobrem nova atque inaudita Germanorum tormenta, si ita licet appellare, cecinit Holler cum laudes texuit navigiorum subnatantium sive submarinorum:

1. Portentum novum exstitit
Repente nunc in pelago:
Magnum terrorem initit
Et saevit more barbaro.

2. Mars procreavit pestifer
Germanico ex spiritu,
Vocatur (horribiliter
Id sonat ipsum) piscis U.

3. Per omnia nans maria
Hoc unum opus agitat:
Quaecumque adversaria
Navigia vidit, mersitat.

4. Imprudens sentit subito
misella navis missile
torpedinis in utero
Letumque obit fleibile.

5. Festiva iacet copia
in fundo iam Oceani
maiorque fit inopia
in dies hostis improbi.

6. Sic places mihi, perge sic
et merge, bone piscis U:
Tum, Albion, quis, age dic,
Servabit ab interitu?³⁹

Der U-Fisch

Ein neues Untier ist in Scharen
Jetzt plötzlich aufgetaucht im Meer ;
Es wütet dort gleich wie ‘Barbaren’
Und breitet Schrecken um sich her.

Es ward gezeugt aus bösem Samen
Des Mars im Bund mit deutschem Geist ;
Und schrecklich klingt sein blosser Namen,
Denn U-Fisch dieses Untier heisst.

Es schwimmt umher auf allen Meeren
Und kennt nur dieses eine Ziel ;
Die Feindesschiffen zu zerstören,
Hinabzusenken möglichst viel.

Du armes Schiff, in Bauches Mitten
Kommt plötzlich dir ganz ahnungslos
So ein Torpedo eingeglitten
Und gibt dir ach ! den Todesstoss.

Schon ruhet eine hübsche Menge
Dort unten in der tiefen See
Und immer mehr kommt in die Enge
Der Feind und fühlt des Hungers Weh.

Recht so, du braver U-Fisch, weiter
Bohr’ Schiff auf Schiff nur in den Grund
Bis endlich unser alter Neider
Am Boden liegt zum Tode wund.

Ceterum instrumenta ea bellica et aliis occasionibus in scholas Latinas irrepserunt. Supersunt enim exercitia quaedam Latina, discipulis classium inferiorum facienda ; quibus fragmenta

³⁷ Paulus von Hindenburg (1847-1934) dux, anno 1914 ex otio revocatus atque octavo Germanorum exercitui praefectus; qui aestate anni 1914 Russorum exercitibus gravissimas attulit clades in Borussia orientali.

³⁸ ‘Carmen bellicum’, *Das humanistische Gymnasium*, 26 (1915), 62. Nomen poetae legitur *ibid.*, p. III. Cfr. etiam Cristini, ‘De Latinis ... 1915’, p. 172.

³⁹ Fridericus Holler, *Lateinische Gedichte zum Weltkriege mit deutscher Übersetzung*, Sammlung neudeutscher Humanismus, 12 (Vratislaviae, 1935²), pp. 43-44 [= Norimbergae, 1917, pp. 28-29]: *Piscis U.*

quaedam Latina de rebus novissimis conscripta proponebantur in sermonem Theodiscum vertenda. Itaque dum bellum fuit magister quidam nomine Kohl inter alia pensa haec pueris obiecit :

De nostris navibus submarinis. Britannos jam diu nostro commercio et nostra industriae invidisse constat. Itaque nobis per insidias bellum inferre non veriti sunt. Sed nostri milites, quibus maxime egregii imperatores praesunt, hosti clades gravissimas intulerunt. Cum societas hostium improba armis nos vincere non posset, gens nefaria Britanniae nos fame opprimere decrevit. Parsimonia autem victus famem avertimus. Insigni ingenio Germanorum contigit, ut multis navibus submarinis aedificatis Britanniam in discrimen maximum vocarent. Nam nulli navi hostium parcitur. Atque nobis persuasum est nos hoc modo Britanniam oppressuros esse.

De arte volandi. Non solum terra marique, sed etiam in aeribus nunc bellum geritur. Constat homines omnibus temporibus aves imitari cupivisse, quae celeriter ac tuto per aeres properant. Sed nostris demum temporibus hominibus contigit, ut machinas construerent, quibus modo avium aeres percurrere possunt. Maxime clarissimus ille Zeppelinus ceteris arte volandi praestitit, qui navem aeriam invenit, quae tuto per aeres regi potest. Initio belli hostes nobis numero et structura machinarum aeriarum superiores erant ; paullo autem post eos arte volandi non solum adaeuavimus, sed etiam superavimus. Nos nostris navibus aeris Britannis magnum terrorum iniecisse inter omnes constat.⁴⁰

Nec vero minus feroce in hostem erant partes adversae, nationes Anglica, Gallica, Belgica et ceterae, cum ad bellum Latine describendum descenderent; itaque fit ut qui talia opuscula his legat temporibus non possit non horrere; quamquam, propter sales illos vere Britannicos, quibus Anglorum versiculi nonnumquam solent condiri, legentibus fit ut moveatur risus. Atque equidem carmen ioco-serium, si verbo mihi licet uti recentiore, nuncupaverim heroicos eos versus, quos Alexander (Valdemarus) Lawrence (1874-1939), vir nobilis idemque iuris peritissimus anno 1915 primum divulgavit; hic vero poeta paucis eis poetis est adnumerandus qui Latine poetabantur dum arma gerunt bellica – erat enim miles maritimus in cohorte quadam aeronavibus labefactandis ('Anti-Aircraft corps' vocabatur Anglice).⁴¹ Is igitur stilo plane Lucretiano, additis leporibus aliunde petitis, poetae Epicurei versus detorsit ad rem suam, attigitque cum aeroplana Zeppeliniana, tum tormenta Anglica eas aeronaves Germanicas globulis impugnantia ignivomis.

O quid dulcius est bene quam munita tenere
Propter aquam Thamesis clamosa ad strata Canonis⁴²
Edita doctrina nautarum castra serena,
Despicere unde queas Urbem populique meatus
Anglorum varios, cura semotu' metuque? 5
Suave etiam, magnis agitantibus aethera pinnis,
E terra firma volucrem Zeppelinam⁴³ tueri
Scindentem rapide nubes, mortalibus aegris
Artibus infandis fulmen tonitruque ferentem.
Huic comes assequitur, quatiens per nubila caeli
Remigium alarum, magno stridore columba
(Improbus, ut fama est, Germanicus Induperator
Obscenas volucres praetexit nomine Taubas⁴⁴).
Non tali auxilio nec pulsatoribus⁴⁵ istis

10

⁴⁰ Seidenberger, 'Lateinische Kriegsexerzitien', *Das humanistische Gymnasium*, 29 (1918), 62-63 (p. 63). Qui exercitia edidit, addidit haec: "In solchen Exerzitien haben wir, wofür die Schüler sehr dankbar sind, einen Niederschlag dessen, was die Gegenwart bewegt, und zugleich eine Erziehung zu vaterländischer Begeisterung".

⁴¹ Cfr. *Record of Service of Solicitors and Articled Clerks with His Majesty's Forces 1914-1919* (Londini, 1920), p. 328.

⁴² Agitur de via quae est in meditullio urbis Londinensis, Thamesi flumini adiacens, et vocatur 'Cannon Street'; in qua inveniebantur balistae sive tormenta ignivoma, tecto deversorii cuiusdam imposita. Eiusmodi tormenta una cum lucis amplificatoribus et Londini compluribus locis et tota insula Britanniae passim inveniebantur.

⁴³ Forma est accusativi Graecanica, quam compares cum accusativo 'delphina' aliisque id genus verbis. Prima syllaba nominis, quod est 'Zeppelin', heic est correpta.

⁴⁴ Spectat ad aeroplana Austriaca quae '(Erich) Taube (II)' appellabantur.

Kaesaribus⁴⁶ dabitur nostram expugnare superbam 15
 Insulam et antiquam; frustra novus Icarus artes
 Daedaleas imitatus iniqua sorte tenetur.
 POMIS hunc POMIS petimus; procumbit humi sus
 Teutonicus mala tanta ausus minitare⁴⁷
 Ferratamque crucem neququam ventilat ille. 20
 Sic pereant omnes qui tale malum meditentur.⁴⁸

(V. 18 [*adnotatio poetae*]: “In Virgil’s Third Eclogue ‘malo me Galatea petit’ also shows that apples were not unknown as missiles, but it is difficult to suppose that the throwing of even the most gorgeous fruit would divert a barbarian aeronaut from his course (...).”)⁴⁹.

Neque iocis carent nonnulla Ronaldi A. Knox (1888-1957) sacerdotis, praeceptoris, litterarum auctoris Anglici, poemata quae ad bellum id spectant.⁵⁰

At reperiuntur etiam apud Britannos poetae minime pauci qui eiusmodi iocos miserint, seriores tractaverint vel etiam asperrime. Itaque Richardus Thomas Elliott, philologus idemque theologus Oxoniensis, anno 1918, Gulielmum, Germanorum imperatorem eius nominis secundum, his est adortus versiculis:

Gulielmus (1918)

O Gulielme, tui mihi deest reverentia plena.
 Quae res impedianc, dicere, Magne, volo.
 Hostis es; haud tamen hoc causa est: reverentia plena
 Hostibus est alius, dum fera pugna fremit.
 Te rapit ira frequens; at non tua me movet ira:
 Iram (sed raro) fidus amicus habet.
 Esse Deum iactas, quem tu veneraris amanter.
 Solis Germanis est tamen iste Deus.
 Non sunt ulla tibi sanctissima foedera sacra,
 Haec si Germanis tu mala ferre putas.
 Urbs Luvana⁵¹ videt, videt hic urbs Anglica multa,
 Quamvis, rex, hominum sit tibi notus amor.
 Qualiter ex caelo credas tua bella gerenda,
 Multa infans, mulier multa necata docet.
 Quod patriam nolo fieri mox Tartara dira,
 Te, Gulielme ferox, non reverenter amo.

William

William, I don’t admire you well,
 The reason why, I’ll try to tell.
 ‘Tis not your enmity; a foe
 I can admire, though he be so.
 ‘Tis not your temper; other men
 I like, who lose theirs now and then.
 The God you worship seems to me
 A wholly German deity.
 Treaties but scraps of paper are,
 If German interests they mar.
 What savage warfare yours may be
 Louvain and English cities see.
 What mercy from the skies you show,
 Our women and our babies know.
 Not wishing this dear land a hell,
 William, I can’t admire you well.⁵²

Immo magis me, ut verum fatear, movit poetae eiusdem epigramma brevissimum, quo celatur concitatio animi, quae erat poetae, atque indignatio more dissimulatur Corneliano. Agitur enim de ultimis motibus Germanorum bellicis, qui aestate anni 1918 ad Matronam urbemque Remorum facti sunt iisque tam vehementes, ut tota urbs Remensis flammis destructa sit ac diruta, vitasque pro patria profuderint ad trecenta milia militum. Haec sunt verba ipsa:

⁴⁵ Id est helicibus, ut ipse addita adnotatiuncula significavit poeta.

⁴⁶ Id est imperatoribus Austriacorum et Germanorum.

⁴⁷ Est pentameter pro hexametro; verbum ‘minitandi’ activum rarenter legitur.

⁴⁸ A. Lawrence, *Aliunde. Translations and Verses* (Londini, 1938), pp. 98-99: *De Zeppelinibus debellandis, A.B. Lucretii fragmentum* [carmen primum prodierat anno 1915 in commentariis, q.t. *Oxford Magazine*].

⁴⁹ Re vera significantur Anglorum tormenta bellica, quae “QF1 pounder” vocabantur, vulgo autem propter boatum “pom-pom” appellabantur; quorum in locum iam anno 1915 meliora atque efficaciora sunt substituta.

⁵⁰ Cfr. Ronald A. Knox, *In three tongues*, ed. L.E. Eyres (Londini, 1959), pp. 52-53 (‘A Letter from the Front. As the Modern Subaltern writes it’ [1915]), p. 56 (‘Careers for Our Boys, I: Digging’ [1916]), etc.

⁵¹ Id est Lovanium. Forma illa ‘Luvana’ parum mihi videtur esse Latina neque usu comprobanda; quam ortam opinor e nominis Gallici (‘Louvain’) pronuntiatiu Anglo.

⁵² Richardus Th. Elliott, *Versus sacri et versus leviores* (Oxonii, 1924), pp. 32-33.

Gallica forma tibi nimium est. Incendia mitto.
Cultus Germanus clarus in igne micat.⁵³

Maior vero pars carminum illa tempestate scriptorum refertur ad singulares eventus bellicos, ad mortes familiarium deplorandas, ad pugnas quasdam peculiares depingendas, ad heroica facta, ad fortitudinem quorundam militum celebrandam, ad pacem implorandam.⁵⁴ Praeter eiusmodi narrationes elegosve saepe numero offenduntur laudes atque praecoxa pacis bellorumque exsecraciones. Quo in genere mihi inter ceteros praestitisse videtur Franciscus Xaverius Reuss (1842-1924) sacerdos idemque poeta ex Alsacia oriundus, qui Romae vitam tum degebat, eamque in Urbe posuit anno 1925. Nil fervidius, nil vehementius, nil elegantius versibus umquam inclusum esse puto ad pacem implorandam, quam Reussii carmen, cui titulus est *Pax*, conditum anno 1917 et ad iudices Hoeufftianos missum.⁵⁵ At heu longius est id poema quam ut heic proponi queat.⁵⁶ Eodem autem auctore prodiit in lucem publicam carmen validissimum quod inscribitur *Pacis in bello ministri*, anno 1915 scriptum, quo proponuntur munera sua et officia obeuentes medici, lexicarii, ministri valetudinarii, virgines sacrae, capellani et homines quotquot in partem periculorum castrensis venire tempore solent bellico.⁵⁷ Ac sane iuvisset me immorari carmini quod *Quinque sorores* inscribitur, anno 1915, ut ego autumo,⁵⁸ condidit Camillus Morelli (1885-1916), litterarum doctor apud Athenaeum militare Romanum, nisi id allatis etiam locis nonnullis satis ante me illustravissent viri docti.⁵⁹

At mihi proventum eum poetarum in universum aestimanti videtur non minima carminum heroicorum pars, etiamsi Latine atque emendate, addo et eleganter sit scripta, tamen circa tritum orbem ita remansisse, ut, dum legas, vix dignoscere valeas egeritne poeta de bello panoctisio priore an altero, de bello saeculi vicesimi an de proeliis saeculo duodecimmo commissis. Est sane ubi dubium sit nullum quoniam significetur bellum, ut puta cum aeronaves Zeppelinianae, Anglorum currus loricati et ignivomi Germanorumve tormenta a crassa Bertha nuncupata memorantur; sed eiusmodi mentiones in toto rei poeticae contextu paene sunt neglegendae. Aliud enim dico. Etenim cum ad carmina vernacula animum adverti, quae saeculo ineunte vicesimo sunt in publicum prolata, tum in poesin novatam novaeque, ut sic dicam, aetati accommodatam saepe incidere soleo, quae multum differat ab aevo superiore; contra ad Latinos versus revertenti mihi nescio quo modo tralaticia pleraque videntur esse ac paene vetera; distantia enim inter poetas Latinos et vernaculos, cum superioribus saeculis fuerit haud magna, eo mihi saeculo multo videtur evasisse maior. Ne longus sim, sequebatur, nisi fallor, poesis Latina vernaculam passibus non

⁵³ *Ibid.*, p. 33.

⁵⁴ Cfr. (ut exempla nonnulla afferantur) Adolfus Rademann, ‘Ad Immelmanni memoriam’, *Das humanistische Gymnasium*, 28 (1917), 155; Dominicus Migliazza (1876-1959), ‘Malchus’ [1915], in Id., *Carmina selecta* (Ticini, 1957), pp. 103-108 (de Laurente et Malcho, heroicis militibus in Alpibus contra Austriacos pugnantibus); *Tumulus vacuus. Carmen Caroli Vignoli* [1878-1938] e *Castris Volscorum in Certamine poetico Hoeufftiano magna laude ornatum* (Amstelodami, 1916); Alexander Aureli, ‘Paci exoptatae’, *Alma Roma*, 4 (1917), 84-85.

⁵⁵ Cfr. F.X. Reuss, *Nova tentamina poetica* (Romae, 1922), pp. 20-24.

⁵⁶ Cfr. Sorbelli, ‘Riflessi’, pp. 141-144.

⁵⁷ Cfr. Reuss, *Nova tentamina*, pp. 10-14.

⁵⁸ Cfr. P.D. Chantepie de la Saussaye, ‘Programma certaminis poetici ab Academia regia disciplinarum Nederlandica ex legato Hoeufftiano in annum MCMXVII indicti’, in *Jaarboek van de Koninklijke Akademie van Wetenschappen gevestigd te Amsterdam*, 1916 (Amstelodami, 1917), pp. 69-70 (p. 69): “Seposita et haec undecim, quorum tamen varia merita nos minime latuerunt: (...) *Quinque sorores* (...). Agitur de carmine Hoeufftiano anni 1916 (relatio enim est conscripta Kal. Apr. anni 1916); qui in id certamen erant descensuri, iis ante Kalendas Ianuarias anni 1916 poemata Amstelodamum erant mittenda.

⁵⁹ De carmine, quod anno 1918, cum iam vita esset functus poeta, est publicatum, egere Sorbelli, ‘Riflessi’, pp. 151-152; Deneire, ‘Four Latin’, pp. 115-119; Cristini, ‘De Latinis ... 1915’, pp. 182-184.

aequis; minusque fit saepe ut illo bello saeviente apud Latinos scriptores reperias, quod cum vernaculis possis comparare: namque hi iam iis ipsis annis, de quibus loquor, carmina sermonibus patriis perpoliebant *Furenti* illi *Tympanotribae* non absimilia, poematio dico a Iano Novák (1921-1984) edito, quod novo quasi quodam insignitur dicendi genere atque inaudito, imaginibus abundat satis audacibus; Ianus vero Novák non altero saeculi vicesimi decennio, verum quinquaginta post annis carmen suum bellicum Latine conscripsit!

Haec cum generatim pronuntiare non verear, tamen fit in vatem ut hic illic incidam, novas qui vias sit inire conatus atque ante id tempus ignotas; alii enim inventione inter ceteros eminuisse mihi videntur; alii iuxta exempla Pascoliana animos hominum paulo audacius explorare sunt aggressi eosque, tritis relictis orbitis, modo novo atque suo depingere sunt conati. Fuerunt igitur qui effingerent quae apud veteres aut raro offenderentur aut numquam. Raris eis avibus (hoc verbo utor consulto) adnumerandus mihi videtur Alfonsus ille Maria Casoli (1867-1923), Ignatiani ordinis sodalis, qui anno 1916 Amstelodamum ad Certamen poeticum versus misit, quibus index est *Ignorati luctus*.⁶⁰ Qui ut bellorum mala ac furores detestaretur, inauditum fere artificium adhibuit; siquidem allocutus est volucres ex Europa in Africam migrantes; interrogavit eas aviculas quasnam, dum in aere pendent, viderint calamitates, quasnam hominum, mulierum, liberorum aerumnas sint conspicatae, quasnam miserias ex alto caelo despexerint; tum avibus vale dicit his versibus, quos quin afferam vix teneor:

‘Ite’, aio, ‘celerique (precor) properate volatu
Quo vos qui excipiat barbarus Afer erit.
Barbarus ille quidem, sed forsan nomine tantum;
Barbaram at, Europe, te tua facta probant.
Quod si tantus amor vos nostras rursus ad oras
Impulerit, volucres, vere redire novo,
Tum nemora et saltus, tum laeta requirite prata,
Tum virides ripas caeruleosque lacus.
Omnia laetitiis hilarique agnoscite cantu,
Omnia festivo concelebrate choro;
Et pecudes et aves alias salvere iubete,
Non homines ...: fuimus! Nunc fera monstra sumus. (vv. 83-94)⁶¹

Ceterum ea tempestate, cum bellum illud pancerium est commotum, principem in poetis Latinis locum, si non apud Anglos et Germanos, at certe apud Italos obtinebat Iohannes ille Pascoli (1855-1912), biennio ante vita functus. Ipsum igitur Pasculum mirum est quot poetae sint in carminibus heroicis texendis ita secuti, ut sive ad inventionem, sive ad dispositionem, sive ad elocutionem attendas animum, Pascoliana illi hic illic pressisse vestigia tibi videantur.⁶² Ut igitur poetis Anglicis, Gallicis, Germanis Vergilius et Horatius ob oculos fere semper oberrabant Latine canentibus, ita Itali Latinarum auctores litterarum per semisaeculum et quod excurrit opera

⁶⁰ *Ignorati luctus. Carmen Alphonsi Mariae Casoli S.I. Mutinensis in Certamine poetico Hoeufftiano magna laude ornatum* (Amstelodami, 1917). De Casolio egit T. Sorbelli in praefatione libri c.t. *A.M. Casoli e S.I. Mutinensis Lyricorum liber*, Novissimi poetae Latini, 1 (Mutinae, 1922), pp. XXV-XXXVIII. Quo libro etiam continetur carmen quod *Ignorati luctus* inscribitur (pp. 69-75), praeter alia quae ad idem bellum spectant.

⁶¹ Huiusce carminis exemplo fortasse est instinctus Raphael Castelli, cum elegos ‘Ad hirundinem profecturam’ scriberet, qui mense Septembri anni 1917 sunt editi (*Alma Roma*, 4 (1917), 151-152); nam et finis poemati Casolio quodammodo respondet: ‘Sed prius huc rediens me frustra forsan, hirundo / tu quaeres lustrans haec tibi nota loca; / nam spes atque metus et vitae taedia longa / (tarda senecta premit) forsitan exuero’. Ceterum Castellius omnia fere bellorum detrimenta et calamitates enumerat; letiferos quoque gasii flatus, tum primum inter hostes emissos, obiter attingit: ‘Mittitur haud raro nubes lethalis in hostem: / exundat lacrimis miles inersque manet’.

⁶² Cfr. P. Paradisi, ‘Pascoli e la poesia neolatina del Novecento’, in A. Battistini, G. Miro Gori, C. Mazzotta (eds.), *Pascoli e la cultura del Novecento* (Venetiis, 2007), pp. 125-178.

Pascoliana tamquam perfectissima artis exemplaria sibi proposuerunt Pasculumque ipsum non furtis, sed imitationibus expresserunt. Hinc factum est ut narrationes in scaenas quasdam dividerent, ut polymetra emitterent, ut pueros et puellas induxerint et loquentes et animos pueriles exhibentes, ut pleraque sermone recto repraesentarent potius quam unis narrationibus indulgerent, atque ut in reconditissimos animi recessus penetrare temptaverint hominesque depingerent aegritudine et doloribus tantopere afflictos ut animi eis interdum aberrarent aberrantesque proponerentur. Nil in hoc genere nobilis, nil commoventius Pascoliana illa *Thallusa*, anno 1912 divulgata:⁶³ quam finxit poeta florente imperio Romano servam fuisse Christifidelem; ei cura puerorum quorundam et infantis commissa; pueros ipsa cottidie e ludo domum comitabatur, cenam dein familiolae apparabat ceteraque negotia obibat domestica; eadem dolore quodam vehementi insolabiliter affligebatur, quod et puellum in cunis vagientem amiserat sibi eruptum anteaquam matrem risu agnosceret, et puelluli pater ad mortem erat nescio quomodo datus; Thallusa igitur, dum his maeroribus est fere perdita, interdum sui fiebat immemor atque furore nonnumquam correpta atque insaniens suum ipsius infantem esse opinabatur, qui erat domini et dominae. Itaque Thallusa, mater illa, ut sic dicam, dolorosa, quod vix umquam sibi esset constans, ceterum sectae Christianorum, pueris, ut credebatur, infestorum atque perniciosorum, faveret, a domino satis severo venum est data. Ipsa serva huius rei nescia, pridie quam emptori est tradita, dolore denuo amens infantem sibi commissum pro suo habuit. Hoc ergo carmen Pascolianum, ut omnium legentium animos, sic et alios poetas mirum in modum commovebat; quo factum est ut id Latinae poesis auctores, qui post Pasculum fuerunt, vel prudentes vel inscientes nonnumquam imitando exprimerent. Exemplum imitationis tam dilucidum quam validum, nisi omnia me fallunt, exhibuit Alafredus Bartoli (1872-1954) idque tam felix, ut carmen Bartolianum anno 1917 magna laude dignum iudicaverint iudices Hoeufftiani.⁶⁴ Neque immerita id laude ornaverunt. Egerat de primaeva Christianorum aetate Pascolus; narrationem in prius bellum omnium gentium transtulit Bartolus. Quid enim? Depingitur apud Bartolum nox natalicia, qua nativitas Domini commemoratur; ac primas agunt mater quaedam et eius filii; abest pater, qui bello saeviente in Alpibus militat; at id dum festum natalicum celebratur, mater maritum suum vel mortem iam occubuisse vel iam casurum esse quodammodo praesentit; neque fallitur; maritus enim, mutato vestitu militari, apud hostem speculari est is quidem ausus, at mox deprehensus; atque ea ipsa nocte natalicia in carcere carnifices opperitur sclopeticis se occisuros.⁶⁵ Non dubito quin hoc loco, auditores, miramini quid sit causae cur Bartolum Pasculum imitando effinxisse contenderim, cum Bartoli narratio a Pascoliana toto caelo distare vobis videatur. Atque est haec imitatio virilis, nequaquam furtum litterarium. Ut enim res ipsa, de qua apud Bartolum agitur, cum Pascolo

⁶³ Cfr. G. Pascoli, *Thallusa*. Introduzione, testo, traduzione e commento a cura di A. Traina, Testi e manuali per l'insegnamento universitario del latino, 20 (Bononiae, 1984).

⁶⁴ Cfr. *Nox Natalicia. Carmen Alfredi Bartoli Melitensis, civis Pistoriensis et Grossetani, in Certamine poetico Hoeufftiano Magna laude ornatum* (Amstelodami, 1917). Carmen videtur esse conscriptum anno 1915 at sero Amstelodamum iudicibus esse traditum (cfr. ‘Programma certaminis’, p. 69: in relatione certaminis anni 1916 nuntiatur: “quatuor haec, utpote quae serius advenerint in proximum reservantur certamen: *Nox Natalicia* (...”). De Bartolo saepius egit eius discipulus Iosephus Morabito, qui praeter alias commentationes hanc de eo fecit publici iuris: ‘Il latinista Alfredo Bartoli’, *Humanistica Lovaniensia*, 28 (1979), 302-327; cfr. etiam A. Di Stefano, ‘Un inedito libro “autobiografico” di Alfredo Bartoli’, in V. Fera – D. Gionta – E. Morabito (eds.), *La poesia latina nell’area dello Stretto fra Ottocento e Novecento. Atti del Convegno di Messina, 20-21 ottobre 2000, nel centenario della nascita di Giuseppe Morabito (1900-1997)*, Percorsi dei Classici, 7 (Messanae, 2006), pp. 293-309; V. Fera, ‘Microcosmo letterario meridionale: Morabito tra Francesco Sofia Alessio e Alfredo Bartoli’, *ibid.*, pp. 311-335.

⁶⁵ Id parum veri simile videtur Sorbellio, ‘Riflessi’, p. 147: “Il carme che ha momenti felici, movimento e passione, con ci soddisfa del tutto per la strana coincidenza della festa e del supplizio”. Mihi equidem id minime displicet; ceterum eiusmodi discrepaniae admodum miserabiles mihi videntur e Pascolio desumptae; nonne enim apud *Thallusam* Pascolianam puerorum et infantis animi hilares opponuntur animo Thallusae tristissimo, et gaudia domestica tristitia ipsius servae? Nonne sensus tragicus, ut ita dicam, hunc in modum apud utrumque poetam augetur?

comparari vix possit, utque dissimiles sint personae, dispar tempus, in quod cadat historia, tamen alia multa Pasculum in mentem mihi revocant dum Bartolum evollo. Namque apud utrumque narratio in scaenas ita est disposita ut quae eodem tempore at locis diversis sunt acta, scaenis inter se sequentibus interdum explicitur. Et apud Bartolum ultima scaena unico constat versiculo, nec plures habuit exemplum Pascolianum. Tum utrumque carmen polymetricum appellare licet: sicut Pascolus naeniam sive cantilenam soporiferam (quam ego pro divina habeo) carmini heroico inseruerat numeris Saturniis perpolitam, sic Bartolus poema heroum cantiuncula natalicia ditavit, metro diverso exarata (Pherecratis et Glyconis est usus). Porro ineunte carmine utroque omnia rident, dum ob oculos legentium ponitur hinc illinc familiola; namque apud Pasculum Thallusa duos pueros festivos domum comitatur, apud Bartolum festum nativitatis concelebratur (et inseritur scaena quae est de matre pueros in aedes avorum comitante); finis vero et huius et illius poematis is est quo magis ater excogitari non possit: namque Thallusa miserrima iam iam expelletur domo nec suo tantum pueru, sed etiam domini liberis sibi caris carebit; Bartolianae autem matri dolore exanimi non est ignotum maritum modo vita esse functum vel, si forte, in limine versari leti. Itaque et a priore poeta et a posteriore animus mulieris cuiusdam supra modum discruciatus depingitur, et apud utrumque puerilis aetas tenet locum minime infimum. Thallusa enim Pascoliana, amentia rapta, domini infantem pro suo puellulo sibi erupto habet, mulier autem Bartolianae, mente non minus perturbata, arborem nativitatis sibi videtur videre in crucem quandam atram commutatam, unde pendeat maritus. Et apud utrumque poetam loquentes ita inducuntur pueri, ut eorum puerilitas minime dissimuletur; fitque ut Bartolus non minus quam Pascolus flexus eos mentium puerilium atque infantilium interdum irrationales nobis effingat percipiendos. Nonne enim apud Pasculum offendimus infantem in cunis iacentem crispataque ridentem buccula cum vidi lacrimulam, id est doloris maerorisque indicium, a cilio Thallusae pendentem? Non absimili igitur modo apud Bartolum pueri quadrimi patrem pueriliter insimulant quod suos ille tamdiu neglegat, penates non invisat:

Anne apud esset avos ambo pater ipse futurus
Quaesierant, longo pater haud sibi tempore visus.
“Ni veniat, malus est!” inquit pulchro ore puella;
“Et nostro” subicit “non dignus amore!” puellus. (vv. 40-43)

Neque illud denique est praetermittendum, quod aliqui versus Bartoliani, licet sint pauci, Pascoliano torno inclusi mihi fuisse videntur. Nam hi:

Nuper enim, peteret cum [mater] maesta paternam
Ipsa domum, dextra implicitos laevaque gemellos
Deducens pueros, cari iam pignus amoris
(Horum vix aetas quartum compleverat annum) (...). (vv. 36-39)

luce clarius redolent hos Pascolianos:

Implicitos dextra pueros laevaque trahebat
Serva duos, haud invitatos sed saepe morantes. (vv. 1-2)

Nec facere potest qui munuscula ex arbore natalicio pendentia apud Bartolum legat, quin ei in mentem redeant vel pretiosa illa metalla atque ex ipsis conflata ornamenta, in quibus pueri Pascoliani, gemmarii officinam cum praetereunt, diutius stupent, vel etiam offae, placentae, scriblitae, quarum odoribus iidem alliciuntur pusiones:

Aere securiculae, vitro factaeque volucres,
Armillae, birotae, gladii, clipeique pilaeque.
Tum pastillorum redolens et copia nares
Exacuens, grato medicata cupedia melle,

Scriblitae lacti immixtae dulcesque placentae,
Cumque libis multo buccellae sacchare odorae! (Bartolus, vv. 119-124)

Nempe morabatur nunc auro forte taberna
Effulgens atque armillis bullisque catellisque (...)
Unde securiculae pendent argenteolae, falk (...)
Odor allicit ambos
Mellis et impositae mensis fumantibus offae
Atque abaci vitreis fulgentes undique vasis. (Pascolus, vv. 3-4, 7, 22-24)

Habet vero *Thallusa* Pascoliana versus aliquot, quos cum semel legisti, memoria tenes per omnem vitam; eiusmodi pauciores apud Bartolum reperiuntur; at ad Pascolum proxime accedunt hi Bartoliani, quibus ipsum caelum eo tempore, quo maritus ex arbore pendet, fingitur flere:

Squalida nox circum pendet caelumque videtur
Nubibus intentum quem nescio flere dolorem. (vv. 180-181)

Sed ut finem faciam, iuvat me de bellorum vesania poematia afferre duo. Alterum condidit poeta prorsus ignotus idemque sacerdos, natione Scotus, cui nomen erat Donaldus Macrae (1864-1923), qui in vico Edderton Scotorum munere verbi divini praecoris fungebatur; quo auctore extant hi versus *Ad militis sepulcrum*, qui etsi non omnibus numeris perfecti sunt atque absoluti, animum tamen legentibus movent :

Qui parva, miles, requiescis sub cruce Christi,
Nomen ubi numerusque sepulcrum flebile monstrant
Quod festinanter comites certamine saevo
Forte cavaverunt terra tristes aliena,
Dum mediis caelis crepitant stridentia tela,
Deflagrante igni, plena caligine leto,
Dum ballistarum tonitus cum voce profunda
Necon exsurdant aures strepitus iaculorum,
Circumfusorum mixtus clamore virorum:
Tu qui sis, miles, quaero; sed nemo remittit
Responsum certum. Procul hinc tua cara marita
Te ploret, redditu sublato? Forte reposcant
Teve patrem fletu pueri extensis manibusque,
Demissumve caput iam canitie atque dolore
Quis tollet matris, tibi quae infanti benedixit,
Quae tulit in genibus, te aluit puerum iuvenemque?
Bellica laus, eheu, ‘invisaque matribus arma’,
Quam multis mortem, quam fertis vulnera multis,
Pluribus innocuis quam luctus, anxietates!
Haec ego dum reputo, parva ales in aethere carmen
Continuum cantat vibrans modulosque, sonusque
En sursum volitat ventos contra, quasi caelum
Perveniat, pro te requiem aeternam repetitum.
Verbis antiquis ex corde et ego precor imo:
“Sit tibi terra levis, Dominique in pace quiescas.
Ponat hiems albam digitis niveis tibi pallam,
Dent lacrimas pluviae mitis calidas tibi veris,
Aestas det flores, autumnus serta triumphi.”⁶⁶

Alterum cecinit Iacobus ille Iohannes Hartmannus Batavus (1851-1924), publicus Latinitatis professor apud studiorum universitatem Lugdunensem idemque poeta Latinus in Certamine Hoeufftiano praemiis saepe numero decoratus, ceterum vinculo familiaritatis cum Pascolo

⁶⁶ Cfr. *Alma Roma*, 6 (1919), num. 2 [Idibus Februariis], 40.

coniunctus. Carmini titulus est *Vita. Satira*,⁶⁷ qua laudatorem se praebet temporis acti, progressumque, qui vocatur, rerum, vituperat, et versibus tum levioribus, tum gravioribus vitam carpit recentissimam, homines ridet huc illuc cursitantes, omnia festinantissime agentes, cunctos orbis terrae recessus animi causa visentes, in officinis sine mente operam dantes ut quam citissime quam maximam copiam rerum vilium fragiliumque efficiant et quoquoversum exportandarum. Ut hac satira mores aevi sui tamquam in conspectu ponit eosdemque supra modum non semel exaggerat, ita a veritate non mihi videtur deflectere dum cogitata sua de bellis semel atque iterum conflatis fusius promit et praeter alia scribit haec:

“Ah, pereas, bellum!”, clamabat rusticus ille
Comicus; et quoties haec est repetita per orbem
Vox deplorantum tot funera totque pericla
Sustentata diu! Sed vix succrevit ab illis
Altera progenies, et iam vestigia nulla
Relliquisse sui pestis prior illa videtur
Mentibus in levibus; nam iam nova vexat Erinnys
Nunc alias partes terrarum, nunc et easdem;
Saevier et semper, semper crudelior extat
Horrisoni vis illa mali; crudelius usque
Ingenium humanum fieri miratur et ipsa
Gens humana: dolis (quam diris quamque cruentis!)
Adstupet ecce suis nec sese agnoscit in illis.

Bella gerunt homines. Quid vult sibi dira voluptas
Sanguinis et caedis? Lucri quid saeva cupido
Promittit miseris? Agedum, circumspice, noris:
Contemplare virum, decorant cui pectora vittae
Cum crucibus: portant mutilatum lignea crura;
Ille assem rogat et narrat sua proelia caecus;
In tabula pictam demonstrat navita puppim,
Se salvo comites quae mille ad Tartara traxit
Icta latente malo: narranti lacrima manat,
Porrigit et dextram tremulus, nam quinque reliquit
Sub riguo tecto gracili cum matre puellos,
Dum friget focus atque vacat panaria cella.

Bellorum hoc pretium non ignorare potestas
Est homini cuiquam, sed bellum provocat ille,
Ille parat; patriae decus est huic semper in ore,
Huic vicinorum rabies artesque dolosae.
Hostis sic homini fit homo non cognitus ante;
Hinc lacrimae cunctis; rident sed machina belli
Ars quibus est et fallacis genus omne veneni,
Quodque in corpora quodque in mentes insinuat se. (vv. 1-33)

⁶⁷ Cfr. *Mnemosyne*, 52 (1924), 337-348.

Appendix

‘Litterae militis Germanici’ (cfr. *Iuventus*, 6 (1914-1915), num. 13-14 (Kalendis Iuniis anni 1915), 100-101)

E fossa “bombardica” Galiciae, pr. Cal. Mai. MCMXV

Domine colendissime, Miraturum te esse puto litteras ad Te dari e fossa sagittaria easque a milite Germanico, qui simul est monachus Franciscanus seu alumnus “Fratrum Minorum” (O.F.M.) sive Franciscanorum. Sane, ego quoque haud crediderim nonnullos abhinc dies me tam subito a fossis Francogallicis, in quibus tam diu morabamur, in Austriam translatum iri, in quibus degendi ratio haud multum differt a primorum hominum ratione. Haec pauca lectoribus Tuis dicere velim, quae ut publices valde Te rogo, cum incertum sit, an proximis diebus ... vivere liceat. Tu autem vale atque iterum vale!

Tibi addictissimus
Fr. Fridolinus Skutella
nunc vero:
Martinus Skutella
miles legionis pedestris 272. adiutricis

In fossis bombardicis Galiciae

Arctae amicitiae, quae animos tenet Germaniae, Hungariae et Austriae, varii iam prodierant flores ac fructus...

Hic quominus porro scriberem, impeditus sum subitis variisque laboribus, qui ad fossas Russorum expugnandas, imprimis ad hunc impetum praeparandum necessarii videbantur.

Iam postr. Cal. Mai., prima die dominica mensis illius, qui augustissimae Matri Dei est sacer, Galiciae urbem Gorlice fossasque Russorum ante et post urbem sitas cum omnibus munimentis decima hora ingenti impetu aggressi omnium exspectatione celerius et maiore quam sperabamus eventu expugnavimus. Spectaculum terribile erat visu et auditu.

Iam multo mane tormenta cuiusque generis et magnitudinis aereas laudes deo Marti offerebant et usque ad meridiem offerre non desinebant. Contremuit terra, contremuerunt valles montesque amoenissimi, verno sole matutino splendentes. Contremuit urbs Gorlice, cuius domus iam prius magnam partem telis dirutae erant; nunc vero cuncta discissa atque ad interitum redacta esse apparebant: ingentes ignes cum fumo spisso et nubibus atris per convalles voluti radios solis obscurabant.

Equidem haec omnia e fossa, quam exeunte mense Aprili occuparamus, contemplari atque admirari potui, quia manipulus cohortis nostrae subsidio in fossa remansit, ad nutum ducis omnino paratus.

Nondum fossas nostri intraverant, cum iam undique ingens Russorum multitudo sublatis manibus, armis in terra defixis se nostris dedunt. Quam ignavi essent hi “patriae strenui defensores” ego ipse proximo die videre potui, cum iterum Russos e fossis aliis, noctu subito factis, expellere iuberemur. Tela mittere etiam in vulneratos non prius desierunt, quam nostri ante eorum oculos steterunt. Tum vero ut canes plorant, ut vitae eorum parcamus, qua tamen illi scelerati minime sunt digni. Tamen considerandum est magnam eorum partem non sua sponte, sed coactos et invitatos pugnare.

Vehementissime timent Germanum, ut nos ipsorum lingua vocant. Deo sint laudes perennes, quod nunc prope et magis prope ad fines suos reiciuntur. Haec enim scribo, cum iam iam ad Iaroslaviam progredi quotidianis proeliis nobis contigerit.

Ut pauca de fossis bombardicis dicam: Equidem iam complures menses vivebam in fossis nostris in Gallia, quas anno superiore exstruxeramus. Sunt illae his, quas paucos dies tenebamus,

simillimae. Differunt vero latitudine, foraminibus telis mittendis, cellis subterraneis, aliis denique rebus levioribus. Germanorum enim fossae sunt augustiores, qua re tormentorum globi facilius evitantur, sunt quoque vulgo altiores. Foramina vero telis mittendis aut ex ligno aut tabulis ferreis constructae ita per totum adversum aggerem ducunt, ut antepagmentum internum amplius sit externo. Hungarorum et Austriacorum aggeres caespitibus tegulisque sunt mixti, neque vero tam crassi, quam Germanorum. Quae res magno incommodo est, cum iam e longinquu conspecti tormentariis aperte se offerant et facilius telis perfodiantur. Cellae denique subterraneae firmiores sunt et ab telis tormentorum, etiam maioris generis, tutiores.

Absit vero his verbis me contendere voluisse has fossas minore arte exstructas esse. E contrario mirabar singularem in omnibus artem industriamque et quo diutius perpendebam animo, eo magis ea, quae primum minus perfecta videbantur, intellexi et agnovi. Russi enim minus vehementer, quam Galli, loca munita telis petunt, cum aut minus strenui sint, aut tot tormenta vix habeant.

Accuratius velim singula, quae quasi attingebam, persequi; sed deest otium. Itaque omnes lectores rogatos velim, ut quae deprehenderint menda, benigne excusent mihiique indulgeant.

Ceterum lectores rogo, ut commendatum esse habeant me, amicum Iuventutis, quam benignitate Lehmanni, amici paterni, debeo. Valeatis.

Martinus Skutella.